

Letter 72: 26 January 1521, Strasbourg, Petrus Wickram to Capito

The manuscript is in the Universitätsbibliothek Basel, Ki. Ar. 25a, 46.

Salutem. Habet patruelis meus, praesencium lator, Vincentius Wickgram ex commissione fratris mei Domini Suffraganei verba tibi facere, vir eximie, quem benigne audias rogamus: tuamque operam quam et verbo et facto sepius pollicitus fuisti et nunc impende. Resignavit frater meus parochiae in Enßheim et pro residencia aliqua anhelat, presertim in ecclesia S. Thomae, cui tu prepositus es. Habet autem D. Theodoricus duas prebendas canonicales in manibus suis  
5 quas prope diem pro pensione resignabit. At tu qui huius hominis potens es, beneficium nobis immensum exhiberes, si tuo patrocinio unam ex eis frater meus D. suffraganeus pro pensione possidere posset. Fac officium amici, habebis nos tibi officiosissimos semper.

Ceterum audio quia in consilium principis tui raptus sis. Letor enim principem duci  
10 consiliis doctorum virorum et bonarum conscientiarum hominum, et utinam omnes principes eiusmodi latera haberent. Tum facile rei publicae Christianae (iam in profundum mersae, ut pene non sit substantia) consuleretur. Hominem te novi timentem deum, non ad utile sed honestum respicientem. Unde fit ut mihi spes magni profectus in principe tuo (nisi inter aulicos mutatus fueris) factus sis. Hoc tamen pro fraterna condicione moneo. Invenisti gratiam in conspectu  
15 principis tui. Videris ne gratiam perdas in conspectu Altissimi. Stas *super flumina Babilonis*, caute deambules, ne praeceps mergaris. Scis quam durum sit in tanto turbine quietum et pacatum animum servare. Tu vero maturius rem tuam age, ut pestis haec crudelis et pestilentissima fugetur.

Abel iste multo iniquior Cayn, cui nemo bonus favet; soli suae farinae nebulones aliquot  
20 hoc portentum ferunt eciam impatientissimi. Maledicta haec terra ubi nec Abel incorruptus esse potuit. Has spinas et tribulos germinat nobis *terra nostrae promissionis*. At hec peccata nostra quibus iram dei meruimus, ut digni non sumus eiusmodi prelati qui doctior et melior sit nobis, sed qualis grex talis et pastor, et ut utrius condicionem agnoscas, intellige quae scribam. Eo die, quo erectum fuit ydolum Bel apud Babilonios, in templo sancti Thomae preparavit vir quidam  
25 Babilon princeps sacerdotum Bel convivium magnum et convocavit sacerdotes Bel ut adorarent. Et qui adorabant clauso ostio devorabant escas ydolo positas, clamantes: magnus es, Bel, et non est apud te dolus quisquam. At Daniel cum pueris suis adorans deum suum verum dedignans genua sua flectere Bel, explosus est ab ydolitico longe alienus factus. At postero die Daniel in honorem dei sui vocavit filios veri praepositi cultores ad convivium, ubi comedebant *panem*  
30 *doloris* in amaritudine animae suae et potum in lachrimis in mensura, et ob id abiectus est Daniel cum filiis a facie oculorum Bel et sacerdotum eius. Sedetque modo inter eos sicut Daniel in lacu inter leones. Tuum est, frater, vigilare ut draco iste rumpatur, ut perfracto Bel e lacu leonum extracti libera voce clamare audeamus: magnus est prepositus Danielis.

Vale, mei cum tibi bene fuerit memor, ex Argent. 26 die Ianuari Anno 1521.

35 Tuus Petrus Wickgram conprespiter.